

mille centum periere milites. Consules apud Clypeam castra posuerunt. Duo Hannones Pœnorum duces, eo rursus cum magno exercitu venerunt: prælioque commisso novem millia perdidērunt, & subacta Africa tunc fuisset, nisi quod tanta famæ erat, ut diutius exercitus expectare non posset. Consules, & victrices classes, cum ad Italiam prædis onusti remearent, infandum naufragium circa Siciliam passi sunt. Nam de quadringentis sexaginta navibus, octoginta yix abjectis oneribus fervari potuerunt, neque ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naves reparaverunt, neque in aliquo animus his *infraçtor* (52) clade fuit. Hoc tempore nummus argenteus primus in Urbe signatus est. (53) Deinde Amilcar dux Pœnorum, cum exercitu in Numidiam, Mauritaniamque missus, postquam hostiliter, cruenterque in universos egit, quod Regulum libenter suscepisse dicerentur, mille argenti talentis, & viginti millibus boum reliquos condamnavit: principes omnium populorum patibulo affixit. Tertio anno, sicut semper in tonitus furor citò periculorum obliviscitur, Servilius Cepio, & Sempronius Blefus Cofs. cum ducentis sexaginta navibus (54) in Africam transvecti, universam oram maritimam, quæ circa Syrtis jacet, depopulati sunt, atque in superiora progressi, captis, everisque civitatibus plurimis, ingentem prædam ad classem duxerunt. Idem cum ad Italiam redirent, circa Palinuri promontorium, quod à Lucanis montibus in altum excurrit, illi scopolis centum quinquaginta naves onerarias, nobilemque prædam crudeliter acquisitam, infeliciter perdidērunt. Itaque cum continuæ calamitates Romanis displicerent, decrevit Senatus ut à maritimis (55) recederetur, & tantum sexaginta naves ad præsidium Italiæ salvæ essent. Quod quidem secretum continuo adacti indomita cupiditate ruperunt. Præterea Cotta Consul in Siciliam transgressus, plurimis præliis adversum Pœnos, & Siculos terra, marique pugnavit, & per totam Siciliam partim hostium, partim etiam sociorum inhumatas strages reliquit. L. Cæcilio Metello, C. Furio Placido (56) Consulibus, (57) Hasdrubal dux novus Carthaginensium cum elephantis centum & triginta, equitum, pedumque amplius triginta millibus Lilybæum venit ex Africa, & continuo cum Metello Cof. apud Panormum pugnam conferuit. Sed Metellus vim magnam belluarum timens, prius eas magno usus consilio, vel in fugam, vel in mortem egit, & sic facile, quamvis magnam vim hostium superavit. Viginti millia Carthaginensium in eo prælio cæsa sunt, elephantum quoque viginti & sex interfecti sunt: centum quatuor per Numidas errantes, quos in auxilium habebat, cepit, & per Ita-

liam duxit, qui maximum Italicis populis spectaculum præbuerunt. Hasdrubal cum paucis Lilybæum profugit, atque absens à Pœnis capite damnatus est. Post hæc fessi tot malis Carthaginenses, petendam esse à Romanis pacem, & permutationem captivorum decreverunt. Ad quam rem Atilium Regulum ante duces Romanorum, quem jam per quinque annos captivum detinebant, inter ceteros legatos sub sacramento præcipue mittendum putaverunt. Ille Romam cum venisset, inductus in Senatum, nihil quasi Romanus egit: dixitque fe ex illa die, qua in potestatem Afrorum venisset, esse Romanum defuisse. Itaque & uxorem à complexu suo removit, & Senatui persuasit, ne pax cum Pœnis fieret, illos enim fractos tot casibus spem nullam habere, tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum se & senem, & paucos qui ex Romanis capti erant, redderent, itaque obtinuit. Nam Afros pacem petentes nullus admisit. Ipse Carthaginem rediit, offerentibusque Romanis ut eum Romæ tenerent, negavit se in ea urbe mansurum, in qua postquam Afri fervierat, dignitatem honesti civis ultra habere non posset. Igitur (58) regressum ad Africam, refecatis palpebris, ut usque ad mortem cruciatu intolerabili, ac dolore vigilaret, atque ut staret semper radium solis intuens, *iligatum in machina* necaverunt. Alter deinde Atilius Regulus, & Manlius Volso, ambo bis Cofs. cum classe ducentarum navium, & quatuor legionibus Lilybæum profecti sunt, quod oppidum in promontorio situm Romani obsidere conati, superveniente Hannibale, qui Hamilcaris filius fuit, victi, majore exercitus sui parte perditâ, ipsi egré evaserunt. Post hos Claudius Cof. cum classe CCXX. navium ad Drepani portum contra hostem profectus est. Ubi mox exceptus classe Pœnorum, dum contra auspicia dimicasset, statim superatus est. Et i se quidem cum triginta navibus Lilybæum in castra confugit: reliquæ omnes, hoc est, LXXX. cum pugnantibus cæse sunt, ceteræ demersæ: novem millia militum cæsa, viginti millia capta referuntur. C. quoque Junius Cof. coll. ga Claudii Pulchri universam classem naufragio amisit, exercitum tamen salvum habuit, quia vicina littora erant. Anno etiam sequenti classis Punica in Italiam transit, ejusque plurimas partes longe, latèque vastavit. Dum hæc agerentur, apud Judæam pontificatum post Eleazarum suscepit Manasses avunculus ejus. (59) Interea Lutacius Catulus cum classe trecentarum navium in Siciliam transvectus est, & ibi dum apud supradictam Drepanum civitatem pugna conferitur, dum inter primores pugnat, transfixo fœnore egerimè, cum jam obrueretur erectus est. Porro autem Pœni cum quadringentis navibus ma-

(52) A. pro *infraçtor* *infraçtus*.

(53) Idem pro signatus est figuratus est, & omnis. cœt. Servilius &c. Ita pariter in B. & H., omnesque conveniunt cum Eutropio.

(54) A. post navibus habet ad Africam profecti naufragium passi sunt. Itaque &c.

(55) A. maritimis præliis rec. &c.

(56) Eutrop. C. Furio Pacillo. A. & H. C. Furio Placido.

(57) A. Hinc legit Metellus in Siciliam Afrorum duces cum 130. elephantis, & magnis copiis venientem superavit XXm. hostium cecidit VI., & XX. elephantis cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat collegit, & Romanum duxit ingenti pompa, cum CXXX. elephantorum numerus itera omnia comple-ret. Post hæc mala Carthaginenses Regulum duces, quem ceperunt petiverunt, ut Romam proficisceretur, & pacem à Rom. obtineret, ac permutationem captivorum faceret. Ille &c.

(58) A. & H. Regressus igitur ad Africam, circumcisit palpebras, ut usque ad mortem cruciatu intolerabili, ac dolore vigilaret, demum omnibus supplicis extinctus est. Post Claudio Pulchro, Gajo Junio Cof. (H. tamen non habet C.) Claudius contra auspicia pu-

gnavit, & à Carthaginensibus vitius est. Nam ex 220. navibus cum 30. fugit, 90. cum pugnantibus cæse demersæ sunt. Alius quoque Consul naufragio classem amisit, exercitum tamen salvum habuit, quia vicina littora erant. Atque &c.

(59) A. Hinc sequitur Gajo Lutatio Catulo, Aulo Postumio Alino Cof. anno belli Punici XXII. à Catulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum CCC. navibus in Siciliam, Afri contra ipsum CCCC. naves paraverunt: nunquam in mari tantis copiis pugnavit. Lutacius Catulus necem eger ascendit, vulnatus enim in pugna superiore fuerat. Contra Lilybæum civitatem Siciliæ pugnavit est ingenti virtute Romanorum. Nam LXXIII. Carthaginensium naves cæse sunt, XXV. demersæ, XXVIII. hostium cæsa, XIII. occisa, infinitum auri, argenti, præde in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Rom. XII. naves submersæ. Pugnavit est VI. id. Marr. Statimque Carthaginenses petiverunt, tributaque est bis pax. Capti &c. H. concordat cum Ambrosiano, & uterque cum Eutropio, ut notavit Canisius, præterquam in numero navium demersarum, & hostium occisorum.